

377 Cum Confessarius personam Medici, & Judicis in hoc Sacramento agat, utramque penitentiam imponere debet, & medicinalem, quæ penitentem præservet à lapsu; & vindicativam, ut Divinæ Justitiæ satisfiat à penitente per opera pœnalia, & ipsi deserviat ad compensationem pœnæ temporalis, quæ remanet ex dimissis peccatis quoad culpam. Et quia contraria contrariis curantur, oportet prorsus superbo humiliationem, avaro largitionem elemosinæ, luxurioso carnis macerationem, & sic aliis alia hujusmodi injungere. c. 10. 26. q. 7. ibi: *In his ipsis, in quibus, deliquit, agens multa contraria, & Zacharus fecit.* L. 25. tit. 4. p. 1. ibi: *Debele dar penitencia contraria del pecado que fizo, ò otra, segun su alvedrio, qual entender que podrá cumplir.* Debet Confessarius, tam in electione opinionum, quam in satisfactionis, & penitentiarum impositione, uti vino, & oleo, sicut ille Samaritanus Evangelicus. Non sit nimis rigidus, nec nimis blandus: ne rigore penitentes terreat, vel lenitate culpas foveat, ut olim Apollo Phaetontem alloquebatur. *Nec premè, nec summum molire per aethera curvum— altius egressus Coelestia tecta cremabis: inferius terras: medio tutissimū ibis: sepe tamen, & in dubio semper oportet ad benignitatem declinare, ne odiosum reddatur Sacramentum.* c. 2. de Sacrilog. c. 12. 26. q. 7. ibi: *Et si erramus medicam penitentiam imponentes nonne melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Ubi enim Paterfamilias largus est, dispensator, non debet esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid Sacerdos ejus austerus? vis apparere Sanctus? circa vitam tuam esto austerus, circa alienam benignus.* Et quia manifesta peccata scandalum in populo generant, licet non convenient quod Confessarius publicam penitentiam in foro Sacramentali imponat ob periculum revelandi peccatum, potest tamen obligare publicum peccatorem, ut se publicè emendatum ostendat. Pœnitens tenetur sub gravi adimplere penitentiam, si hæc rationalis sit, & pro culpa gravi nondum confessa imponatur. Esse tantum obligationem sub veniali ad penitentiam adimplendam, si imponatur tantum pro venialibus, vel mortalibus aliàs confessis, vel si levis sit, vel si Sacerdos noluit sub gravi obligare, vel si pars

tantum levis omittatur, tenent *Suar. de Pœnit. D. 38. sect. 7. Laym. L. 5. tr. 6. c. 15.* Si pœnitenti sit nimis molesta, & difficilis pœnitentia, & Confessarius nolit eam moderari, non peccat pœnitens, si discedens sine absolutione se alii Confessario sistat, & ea confiteatur peccata: nam in hoc suo jure utitur. Nec est necesse pœnitentiam peragi ante absolutionem, ut olim docebat Petrus de Osmæ, cujus error damnatus à Sixto IV. fuit ab aliquibus rigoristis renovatus, & addiderunt, praxim non absolvendi, nisi peracta prius pœnitentia viguisse in Ecclesia per 12. prima sæcula. Certum tamen est, quod absoluta est retinenda praxis, qua utimur in Ecclesia absolvendi ante peractam pœnitentiam, licet ut servetur ordo iudicii, ante absolutionem injungatur. De quo Lacroix L. 6. p. 2. n. 1230. Hinc *Alexand. VIII.* has damnavit propositiones. 16. *Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesie, sed ipsa Christi Lex, & præscriptio nature rei, id ipsum quodammodo dictante.* 17. *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentie est inversus.* 18. *Consuetudo moderna, quoad administrationem Sacramenti penitentia, etiam si eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.* 22. *Sacrilegi sunt iudicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendant, antequam condignam de delictis suis penitentiam egerint.* In idem incidit prop. 87. *Kesler.*

378 Cum manifesta peccata non sint occulta correctione purganda. c. 1. h. t. debet pro ipsis in foro externo publica penitentia imponi. c. 19. 2. q. 1. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 8.* Ut hoc modo rei emendentur, & alii tali exemplo à peccatis committendis arceantur, dum vident, ea impunita non manere. Pœnitentia publica, alia est *solemnis*, alia non *solemnis*. Solemnis erat, quæ fiebat servatis certis ritibus, & solemnitatibus: nam penitentes in principio Quadragesimæ ante fores Ecclesie se presentabant Episcopo sacco induti nudis pedibus, vultibus in terram demissis, se reos esse ipso habitu, & vultu protestantes. Et variis precibus in Ecclesia factis Episcopus manus imponebat, aquam benedictam spargebat super eos, mittebat cinerem, & cilio captiva eorum operiebat, & cum genuit, & crebris suspitiis denuntiabat, quod si-

cut

cut Adam projectus est de Paradiso, ita ipsi pro peccatis à Ecclesia abjiciebantur: & tunc à Ministris expellebantur extra januas Ecclesie, & in Sacra Domini Coena rursus admittiebantur. c. 64. D. 50. L. 18. tit. 4. p. 1. Sed talis publica pœnitentia jam non est in usu, nisi fortè, quando excommunicatus solemniter absolvitur. Solus enim Episcopus hanc pœnitentiam indicēbat, & quidem in Quadragesimæ tantum, & semel solum in vita, & tantum pro peccatis valde gravibus, & scandalosis. Er non indicēbatur Clericis, nisi depositis, & quidem sine spe restitutionis. c. 2. de Pœnit. D. 6. c. 65. D. 50. Nec conjugatis, sine uxoris consensu, imponebatur. Et quia crimen promulgabatur, pœnitens fiebat infamis. Pœnitentia publica non *solemnis* est, quæ à quolibet Sacerdote publicè, & in facie Ecclesie pro peccatis, non adeò gravibus, & in quocumque tempore, & sæpius, & indistinctè, etiam conjugatis imponebatur; v. g. peregrinatio cum pera, & baculo benedictis, ut deducitur ex c. 61. c. 66. D. 50. c. 17. de Consecr. D. 3. c. 2. h. t. L. 20. tit. 4. p. 1. Olim quidem gravissimæ pœnitentiæ ritum nempè, septem, decem, & quindecim annorum, quin & pro tota vita imponebantur in oratione, suspensione, pane, & aqua, detrusione, & aliis hujusmodi de quibus late in Canonibus pœnitentialibus: quæ jam non sunt in usu.

379 In c. 2. h. t. dicitur: *Qui Presbiterum occiderit duodecim annorum pœnitentia ei secundum Canones imponatur: convictus, usque ad ultimum tempus vite sue militia singulo careat, & absque spe conjugii maneat.* Hodie tamen tam impedimentum, quam pœna in desuetudinem abiit. In c. 9. h. t. præcipitur, quod audiatur confessio mulieris, nec ipsi denegetur absolutio, quia sibi partum supposuit, faciēdo, quod venter ejus intumisset ex certo succo herbarum, quem potavit, ne ejus bona devenirent ad extraneos: sicut non negatur absolutio ei, quæ filium proprium ex adulterio suscepit, nec vult illud marito detegere: nam licet ipsa in quantum potest sine famæ dispendio, & periculo vitæ curare debeat, ne damnum patiantur hæredes legitimi, ac proinde compensationem illis facere debeat, vel ex propriis bonis, vel suadendo filio illegitimo, & renuntiet hereditati, & fiat Clericus, vel Religiosus: tamen regulariter non tenetur suum occultum delictum manifestare, ad impe-

diendum damnum mariti, & filiorum legitimorum. Nam bonum famæ, & vitæ est superius bonis fortunæ, neque filius, qui in possessione natiuitatis legitima est, tenetur credere matri asserenti, etiam cum juramentum, esse suppositum, vel ex adulterio susceptum. L. 6. ff. de His, qui sui. c. 10. de Probat. & ibid. *Gonz. n. 8. Less. de Just. lib. 2. cap. 10. ex num. 47.* Adulter non solum quando est dubium, an prolex sit sua, sed etiam quando sibi persuadet, suam esse, regulariter excusatur à restitutione: quia regulariter nequit fieri sine gravi periculo vitæ, vel famæ; vel quia aliunde à matre fit compensatio: cessantibus tamen his causis, damna ex adulterio, si hæc constet, ab adultero compensanda veniunt.

380 Medici nequeunt sub anathematis pœna pro corporali salute, aliquid ægroto suadere, quod in periculum animæ converteretur; quia anima multo pretiosior est corpore. c. 13. h. t. L. 37. tit. 4. p. 1. Imò, Medici vocati ad infirmos, ante omnia debent infirmum ad confessionem inducere, ut cessante causa cesset effectus: cum infirmitas corporalis nunquam ex peccato proveniat, dicente domino languido, quem sanaverat, vade, & amplius noli peccare, ne deturū aliquid tibi contingat. c. 13. h. t. L. 37. tit. 4. p. 1. ibi: *E por ende rovo por bien Santa Iglesia, que ningun Físico Cristiano non sea ostadado de melecinar al enfermo à menos de confesarse primeramente: è el que contra esto ficieren, que jures echado de la Iglesia.* S. Pius V. Motu proprio super Gregem. 8. Mart. ann. 1566. hæc decretalem innovit, & addidit, quod Medicus non visitet ægros ultra tertium diem, quando morbus periculum mortis habet, nec ad ipsos redeat, nisi Confessarius testetur infirmum confessum esse. Et præcipit universitatibus, quod exigant à Medicis juramentum, hoc servandi, quando ad Doctoratus gradum eos promoverint, vel licentiam medendi dederint. Sed hæc constitutio, vel numquam fuit usu recepta, vel jam est abolita per desuetudinem. In nostra Hispania habetur in L. 3. tit. 16. lib. 3. R. C. ibi: *Mandamos, que los Medicos, y Cirujanos guarden lo dispuesto por Derecho Canonico, en advertir à los enfermos que se confiesen, especialmente en las enfermedades agudas, en las quales, el Medico, y el Cirujano que las curare, sean obligados à lo menos en la segunda visita, de anonestar al doliente, que se confiesse, so pena de diez*

diez mil maravedis para la nuestra Camara, y Fisco, por cada vez que lo dexaren de hacer. Et in L. 5. tit. 1. lib. 1. R. G. dicitur: Todo Fiel Cristiano, al tiempo de su finamiento, sea tenuto de confessar devotamente sus pecados, y de recibir Comunión del Sacramento Santo de la Eucaristia, según lo dispone la Santa Madre Iglesia; y el que no lo biçiere, è finare sin confesion, pudiendolo hacer, que pierda la mitad de sus bienes, y scan para la nuestra Camara.

381 Alius modus, & quidem facili-
or, satisfaciendi pro peccatis, est per
indulgentiam. Indulgentia est remissio pœ-
næ temporalis debita pro peccatis actua-
libus extra Sacramentum facta ex the-
sauri Ecclesiastici dispensatione. Sic com.
DD. In thesauro Ecclesiæ inveniuntur
merita, & opera satisfactoria Christi Do-
mini, quæ sunt valoris infiniti: B. Mariæ,
& aliorum Sanctorum. Nam cum his non
indiguisset ad satisfaciendum Deo, in
deposito, & thesauro reservata Ecclesia
ad applicanda aliis fidelibus: *Extr. Uni-
genitus 2. b. t. inr. com. ubi loquendo de
infinitis Christi meritis; ait Clement. II.
Quantum ergo ex inde, aut nec supervacua,
inutilis, ut superflua tanto effusionis mi-
seratio redderetur, thesaurum militanti Ec-
clesia adquisivit, volens suis thesaurizare
filiis pius Pater, ut sic sit infinitus the-
saurus hominibus: quo qui usi sunt, Dei
amicitia participes sunt effecti: que quidem
thesaurum non in sudario repositum, non
in agro absconditum, sed per B. Petrum
Cæli clavigerum, ejusque Successores, suos
in terris Vicarios commisit fidelibus salu-
briter dispensandum. Et propriis, & ratio-
nabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro
partiali remissione pœnæ temporalis pro pec-
catis debita tam generaliter, quam specia-
liter (prout cum Deo expedire cognoscerent)
verè poenitentibus, & confessis misericor-
diter applicandum. Indulgentia quidem
pro diversis respectibus diversè dividit-
ur nam alia est totalis, partialis alia.
Indulgentia, totalis, penalis, seu plenissi-
ma, est, per quam tota pœna, quæ esset
in Purgatorio luenda remittitur. Partialis
est per quam non tota pœna, sed aliqua
pars remittitur, vel indeterminata; v. g.
tertia pars pœnarum, vel determinata;
v. g. Quadragesima, id est, pœna, quæ per
Quadragesimam erat subeunda; vel
Carena sic dicta quasi carentia, id est,
pœna per quadragesima dies in pane, &
aqua sustinenda: vel unius anni, &c. Per
has indulgentias remittitur pœna, quæ*

per poenitentiam talis temporis respecti-
vè esset remittenda. Alia insuper est tem-
poralis, quæ scilicet lapsu certi temporis
finitur. Sic indulgentia concessa ad cer-
tum tempus, vel sub conditione, cessat,
illo finito, & hac deficiente. Similiter ad
beneplacitum concessa, mortuo concede-
nte, utpotè cessante ejus beneplacito,
etiam & ipsa expirat. *c. 5. de Rescriptis,
in 6. Alia item est perpetua, quæ semper
durat, quousque revocetur. Sicque in-
dulgentia concessa à Papa, vel Episcopo
simpliciter, non cessat morte concedentis
arg. c. 16. de Reg. jur. in 6. etiam si
cesset causa, ob quam fuit concessa: dum
hæc à principio fuisset concessio prop-
tionata; *Suar. de Poenit. D. 52. sect. 2.
n. 4. Indulgentia quantumvis ex sua con-
cessione perpetua sit, pendet tamen in
ejus conversatione, & cessatione à vo-
luntate concedentis, sicut ab eo in con-
cessione pendet; arg. cap. 1. de Reg. jur.
L. 35. ff. eod. ad proinde potest revocari ab
ipso concedente, ab ejus successore, &
superiore utriusque. Extr. 4. & 5. b. t.
inter com. Suar. de Poenit. D. 57. sect. 2.
n. 8. p. 11. Lacroix, L. 6. p. 2. num. 1382.
Deinde: Alia est personalis, quæ perso-
næ: alia realis, quæ rei; v. g. Rosarii
vel Crucis: alia localis, quæ certo loco,
v. g. altari, vel Ecclesiæ: est concessa. Si
locus, vel res, cui est concessa indulgentia,
sine spe reedificationis destruat-
ur indulgentia cessat. Si verò cum reedifica-
tionis spe destruat-ur, suspenditur indulgentia,
& si brevi tempore reedificetur locus
indulgentia resurgit. *Suar. de Poenit. D. 52.
sect. 1. n. 8. & 9. Lacroix, L. 6. p. 2. num.
1383. Usum indulgentiarum, non solum
antiquissimum esse constat. Extr. 1. b. t.
Inst. com. Trid. sess. 25. Decret. de Indul-
gentiis, sed à tempore Apostolorum deri-
vari probat. Suarez de Poenitent. D. 49.
sect. 2.***

382 S. Pontifex habet illimitatam po-
testatem dispensandi Ecclesiæ thesaurum,
ac proinde potest ipse, & quidem solus,
plenarias indulgentias, non solum pro
viviis, sed & pro defunctis concedere,
*arg. c. 4. b. t. Extr. 2. eod. inter com. non
tamen potest tot concedere, ut Purga-
torium exhauriat: qui non videtur posse
tantam professionem juxta causa coho-
nestari. Laer. L. 6. p. 2. ex n. 1317. Quippe
cum non sit dominus, sed dispensator,
si absque juxta, & legitima causa: & qui-
dem concessio proportionata, indul-
gentias concedat, non solum hæc erunt
illicite, sed & invalidæ; arg. c. 14. b. t.
vel*

vel in totum, vel saltem qua parte in-
dulgencia causam excedat, *cap. 1. C. fin.
b. t. in 6.* Tales causæ sunt propagatio fidei
Catholicæ, hæresum extirpatio, concor-
dantia inter Principes Christianos: con-
versio infidelium, exaltatio Ecclesiæ, ex-
citatio ad devotionem, & virtutem, &c.
*Suar. de Poenit. D. 52. sect. 2. Laer. l. 6.
p. 2. ex n. 1301. Indulgentiæ nequeunt
primo publicari sine licentia, & approba-
tione Ordinarii. Trid. sess. 21. de Reform.
cap. 9. Indulgentiæ verò jam olim concessæ
possunt publicari à Religiosis, vel il-
lis, quibus sunt concessæ, sine Ordina-
rii licentia juxta Galliam. In Hispania
ultra licentiam Ordinarii requiritur etiam
licentia Commissarii Cruciatæ, vel dele-
gati ab ipso, ut possint indulgentiæ pub-
licari, vel typis mandari. L. 12. tit. 10.
lib. 1. R. C. Pro Indiis tamen habemus
Decretum Regium post tit. 20. lib. 1. R.
Ind. ibi: En Consulto del Consejo de 27. de
Abril de 1651. sobre otra del Consejo de Cru-
zada, fue su Magestad servido de resolver,
que las Bulas, o Breves de Indulgencias, que
su Santidad concediere para las Indias, se
presenten por aquel Consejo, y pasen por el
de Indias; y estando pasadas por ambos Con-
sejos, no sea necesario pasarlas por los Tri-
bunales de las Indias. In praxi tamen hic
presentatur Bullæ Indulgentiarum Ordina-
rii, & Subdelegato Cruciatæ. Episcopi
confirmati, etiamsi consecrati non sint,
possunt indulgentias concedere, sed tan-
tum pro sua Dioecesi, etiamsi actu in ea
non existant, cum sit actus jurisdictionis
voluntaria, & tantum suis subditis, *cap-
it. 4. b. t. Exempti tamen intra Dioecesim
existentes bene possunt lucrari indul-
gentias ab Episcopo concessas, ne in eo-
rum damno retorquatur exemptio, quæ
est in eorum favore inducta contra cap-
it. 61. de Reg. jur. in 6. L. 6. C. de Leg. Ip-
se concedens etiam eas lucrari potest. Suar.
de Leg. lib. 6. cap. 12. n. 8. Extranei, qui in
tali Dioecesi, nec domicilium, nec quasi
domicilium habent, non possunt lucrari
indulgentias ibidem concessas, nisi eorum
Episcopus specialiter consentiat. Barb. de
Offic. Episc. alleg. 88. n. 25. Archiepiscopo
specialiter concessum est, ut possit non
solum pro sua Dioecesi, sed pro tota sua
Provincia, etiam, quando actu eam non
visitat, concedere indulgentias, *cap. 15. b. t.
Quod non extenditur ad Patriarcham, vel
Primate, qui solum in sua Dioecesi, si
est Episcopus, vel in sua Provincia, si est
Archiepiscopus, non verò potest in toto
Regno indulgentias concedere. Archiepis-***

copus, & Episcopus solum possunt 40. dies
concedere, nisi in die Dedicationis Eccle-
siæ, in quo indulgentiam unius anni pos-
sunt concedere, *cap. 14. b. t. Barb. de Of-
fic. Episc. alleg. 88. n. 14. Suar. de Poenit.
D. 55. sect. 3. n. 7. Laer. l. 6. p. 2. n. 320.
& seq. Cardinales in Ecclesiis sui tituli ex
privilegio 100. dies concedere valent, vel
ex consuetudine: siquidem hanc facultatem
consuetudine posse obtinere saltem
est probabile. Sanchez in Decal. L. 4. cap. 38.
n. 21. Laym. l. 5. tr. 7. cap. 4. n. 4. Castrop.
tr. 24. D. un. p. 6. n. 7. contra Suar. de Poenit.
D. 55. sect. 4. n. 3. Nav. Sot. Turrecr.
& alios. Legati à Latere, alique Prælati,
sive Sæculares, sive Regulares Episcopo in-
feriores, quibus Jure Communi non con-
ceditur hæc facultas, solent privilegium
habere ad concedendas indulgentias. Pa-
rochi, Vicarius Generalis Episcopi, vel
Capituli: imò nec ipsum Capitulum, Se-
devacante, nec Concilium Generale habent
potestatem concedendi indulgentias. Dian.
in Sum. V. Indulgentia. Nam hæc facultas
est meræ gratiæ, & per se est Dignitati re-
servata: possuntque Episcopi hanc potes-
tatem, cum sit ordinaria, alteri delegare.
Et cum concessio indulgentiarum non sit
actus ordinis, sed jurisdictionis, Papa, vel
Episcopus, etiam nec dum Sacerdos, pos-
set, & indulgentias concedere, & delegare
concessionem cuivis simplici Clerico.
Sed cum Episcopus, non per modum dis-
pensationis Thesauri Ecclesiæ: nam hoc
pertinet ad Papam, sed solum per modum
absolutionis possit indulgentias concede-
re, non valet eas concedere pro defunctis,
in quos jurisdictionem non habet, sed solum
pro viviis, si sui subditi sint: quippe
in eos jurisdictionem habet: *Bellarmin.
lib. 1. de Indulg. cap. 14. lib. 6. p. 2. n. 1315.
& 1320. Nunc Benedictus XIV. in
Constit. Pia Mater, Nonis Aprilis ann.
1747. Thesaurus Ecclesiæ in favorem fi-
delium liberaliter aperti, concedit Episcopis
facultatem impertiendi benedictionem cum
Indulgentia plenaria fidelibus in articulo
mortis constitutis, etiam per alios, tam in
Civitatibus, quam in Dioecibus, ab ipsis
subdelegatos, Prælati Regulares, licet non
possint applicare alteri satisfactionem suorum
subditorum, sine illorum saltem præsumpta
licentia: (quamvis aliqui contrarium teneant)
possunt quemlibet admittere ad communica-
tionem bonorum operum suorum subdito-
rum, quoad meritum de congruo, &
impetrationem: quia in hoc nihil aufe-
runt à subditis: possunt tamen subditis**

precipere, ut alicui applicent satisfactionem in necessitate. *Alloca in Sum. V. Indulgentia, sect. 1. n. 21. Suar. & alii.*

383 Ut quis possit lucrari indulgentias: 1. debet esse baptizatus. Pro Catechumenis vivis, & defunctis, posse indulgentias applicari ex *Granado contra Præpositum tenet Diana in Sum. V. Indulgent. n. 6. 2. debet esse non excommunicatus, cap. 32. cap. 107. 11. q. 3. debetque omnia opera præscripta adimplere, alias cum non servet formam, vel conditionem, eas non lucrabitur, etiamsi per ipsum non sret, nisi aliter in concessione exprimat. *Extr. 2. h. 1. inter com.* debet esse in gratia, saltem, quando ultimum opus completur: Siquidem non potest per indulgentiam tolli reatus poenæ, si ster reatus culpæ gravis. *Dian. in Sum. V. Indulgentia requisita, num. 3. Laer. l. 6. p. 2. n. 1301.* Indulgentiæ pro aliqua festivitate concessæ incipiunt à primis illius vespertis, & durant usque ad occasum solis diei sequentis. Concessæ ad septennium incipiunt à die publicationis factæ in illo loco, & licet consultus sit habere actualem intentionem lucrandi indulgentias, sufficere intentionem habituales, & interpretativam, quam generaliter habent Christiani, de eo quod sua opera prosint, quantum possunt tenent *Suar. de Pœnit. D. 56. sect. 1. n. 7. Lug. de Sacr. D. 27. n. 82. Laer. l. 6. p. 2. n. 1325.* Si pro alio quis velit indulgentiam lucrari est necessarium habere intentionem lucrandi determinatè pro illo: sufficit tamen intentio habitualis, id est, semel habita, & non revocata, dum tamen ille, pro quo applicatur, sit in statu gratiæ. Et potest applicari absenti, ignoranti, & non petenti, & probabiliter positivè invito: sicut à censura potest invitatus absolvi: quia licet fructus meriti non possit alii applicari, cum meriti sit ad gratiam, & gloriam merentis, fructus tamen satisfactionis alteri potest applicari, ut patet in Christo D. qui pro nobis satisfecit. Pro defunctis nullus, nisi Papa potest indulgentias applicare: quippè ipse solus habet claves Thesauri Ecclesiæ, easque applicat solum per modum solutionis, cum defuncti jam sint extra ejus jurisdictionem. Et licet aliqui dicant, posse aliquem, qui non sit in gratia lucrari indulgentiam pro defuncto, qui est in Purgatorio, qui certè est in gratia, securius est illam in statu gratiæ applicare. Indulgentiæ applicationem pro defuncto habere infallibilem effectum, alii negant, alii concedunt: utriusque probabiliter. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 524.**

384 Sed quia solent aliquæ indulgentiæ falso supponi, quæ in re non sunt concessæ, referam Decretum de Indulgentiis apocryphis, quod affert *Laer. l. 6. p. 2. ex n. 1367.*

Decretum de Apocryphis Indulgentiis.

Delatæ sæpius fuere ad S. Congregationem Indulgentiis, sacrisque Reliquiis præpositam Indulgentiæ quædam confictæ, & omninò falsæ, quæ per diversis Orbis Christiani partes circumferuntur: aliæ verò examinandæ, quæ adhibito studio inventæ sunt, vel apocryphæ, vel à Romanis Pontificibus revocatæ, vel nullæ: quod datum eis tempus præterisset, quarum quidem primæ, cum non facilem cognitionem habeant, Christi fideles harum rerum minus peritos fallunt, qui spe Indulgentiæ, remissionisque peccatorum suorum consequendæ frustrantur. Quamobrem eadem S. Congregatio vehementer cupiens huic malo magis in dies serpenti occurrere, animarum profectui, & Indulgentiarum dignitati consulere, plures illarum singulari diligentia colligi, & Indicem referri curavit.

Tales in primis sunt illæ, uti asserunt, concessæ à Joanne II. & Sixto IV. recitantibus orationem charitatis Jesu-Christi Domini nostri: *Præcor te piissimè Domine, &c.* Ab Urbano II. Ecclesiæ S. Mariæ, ut vulgo dici solet, Compagno-læ, & S. Victoriæ. Ab Eugenio III. Revelationi de plaga in humero Jesu-Christi factæ S. Bernardo. Ad Innocentio III. Ar-

Archiconfraternitati, & Ordini Redemptionis. A Bonifacio IX. visitantibus Capellam S. Nicolai de Tolentino in ejus die festo. A Joanne XXII. osculantibus mensuram plantæ pedis B. Mariæ Virginis. Ab Alexandro VI. Imagini B. Mariæ, vulgo dictæ Lapherti. A Leone X. gestantibus funiculum S. Francisci primum in Urbe impressæ, deinde Mediolani anno 1665. (suas tamen habent, & veras confratres Archiconfraternitatis Cordigerorum S. Francisci) recitantibus salutationem Angelicam ad pulsum horologii, & Imagini Conceptionis Mariæ Virginis Immaculatæ in circulo depictæ, cujus pedibus luna subjecta est. A Pio IV. vel S. Pio V. Principi Senarum. A Clemente VIII. dicentibus orationem: *O magnum Mysterium &c.* Et Ecclesiæ S. Mariæ, quam vocant, Montis Serrati Avenione impressæ. Tum aliæ pro animabus Christi fidelium defunctorum, impressæ Marti 20. Julii 1606. A Paulo V. cantantibus hymnum: *Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem confitemur, &c.* Vel si die Sabbati intererint, dum idem canitur. Et Coronis, Rosariis, Imaginibus, Numismatibus, quæ Medallas appellant, ab eo benedictis, Federico Cardinali Borromæo supplicante, anno 1611. dum Ecclesia Romæ in honorem S. Caroli edificaretur: & ab eodem Paulo, & Gregorio XV. dicentibus: *Sia lodato il Santissimo Sacramento, laus Santissimo Sacramento.* Ab Urbano VIII. in honorem ejusdem Sacramenti, precibus Cardinalis Magalotti, & Sacerdotibus celebrata Missa dicentibus: *Ave Filia Dei Patris, Ave Mater Dei Filii, &c.* A Clemente X. recitantibus manè, meridiè, ab vespere consuetam Antiphonam. *Angelus Domini, &c.* Et in fine: *Deo gratias, & Mariæ.* Ac demum aliæ à nonnullis Romanis Pontificibus tributæ, ut ajunt, Coronis Mysteriorum Passionis Domini Nostri Jesu-Christi, prece magni Ducis Etruriæ.

Talis Indulgentia Sodalitatis S. Nicolai, qua repetita, quinque oratione Dominica, & Salutatione Angelica, unam liberari animam, quolibet die à Purgatorii poenis, affirmant. Tales aliæ Perusii Confraternitati Sanctorum Sebastiani, & Rochi, de Romæ Societatis S. Bernardi, ad Columnam Trajani: Tales demum aliæ Cruce signatorum S. Eustorgii, Mediolani, Arimini, & Bononiæ.

Ejus generis sunt, & illæ concessæ, ut ajunt, & Capellæ Rosarii in Ecclesia S. Tom. II.

Antonii de Rovigo, seu Rodrigii, vel Ecclesiæ SS. Trinitatis Bergoni, aut S. Petri Montis Tondoni, die festo Inventionis SS. Crucis, vel gestantibus funiculum S. Francisci de Paula: vel celebrantibus Missas S. Augustini, aut alias quinque in honorem quinque Festivitarum B. Virginis: vel recitantibus Officium S. Francisci Romanæ, aut Antiphonam: *O Passio magna, &c.* in memoriis Passionis Jesu: aut Rosarium S. Annæ (quod Congregatio Sacrorum Rituum non probat) aut oratione: quæ impressa cum Imagine. Annæ circumferri solet: *Ave gratia plena &c.* (quæ oratio prohibetur) aut Officio Conceptionis B. Virginis Immaculatæ, quod afferunt à Paulo V. probatum fuisse: aut Orationem *Deus qui nobis in S. Synagoga &c.* (excipitur Indulgentia centum dierum, anno 1671. concessa precibus Ducissæ Sabaudie ad annos 25. cunctis in illius Ditione degentibus) aut aliam: *Ave Filia Dei &c.* post communionem recitandam: vel aliquo conspicuo signo venerantibus SS. Eucharistiæ Sacramenti nomen. Indulgentiæ rursus octoginta millium annorum veteri de tabula exscriptæ, quàm in Basilica Lateranensi asservari affirmant, pro dicentibus orationem illam verè piam. *Deus, qui pro redemptione mundi, &c.* Tum quæ impressæ fuerunt Papiæ, Anno 1670. sub hoc titulo: *Sommario dell' Indulgenze concesse dalla Santità di nostro Signore Papa Leone X. all' Immagine della Concezione della Gloriosa Vergine Maria.* Vel Pisauri sub nomine B. Joannæ, Anno 1608. evulgatæ: vel Balicte seu Barula recitantibus quasdam, non sanè malas orationes, lucrandæ: vel Parmæ à visitantibus per quadragessimæ dies Ecclesiæ Tertii Ordinis S. Francisci: vel Pistorii, & Vastallæ à recitantibus orationem: *Ave Sanctissima Maria Mater Dei Regina Cæli &c.* Et aliæ in peculiari impresso libro descriptæ, quibus frui dicunt devotos Seraphicos, & Benefactores.

His annumerandæ sunt, quæ Crucibus Caravacensis tributæ dicuntur, vel Coronæ, sive Stellariæ Conceptionis immaculatæ, quod ex duodecim globulis præcariis constat: vel granis, Crucibus, & Rochi, de Romæ Aloysiæ ab Ascensione Hispaniæ Monialis Ordinis S. Claræ, vel mensuræ altitudinis Jesu-Christi Domini nostri: vel Imagini, aut mensuræ vulneris lateri ejus inflicti: vel orationi, ut ajunt, in sepulcro Domini nostri reper-

re; & indulgentiæ, ut ajunt, iuxta revelationem factam Sanctæ Birgitæ, Methildis, & Elisabeth, vel B. Joannæ de Cruce. Et concessæ, uti asserunt, gravis, quæ aliquod ex tribus gravis tetigerint extantibus penes Romanum Pontificem, Hispaniarum Regem, & Ministrum Generalem Fratrum Minorum Observantia Sancti Francisci.

Omnes verò, & singulas jam dictas indulgentias S. Congregatio partim esse confictas, & plane tallas declarat; partim apocryphas, vel ex alio capite nullas: quæ nemini suffragari possunt, easque in futurum ullo in loco, ut veras publicari, & lucrandas Christi delibus proponi vetat; foliaque, & libros, ubi sic proponuntur, suis auferuntur, omnino præcipit aboleri, nisi prædictæ indulgentiæ fuerint diligenter expunctæ. Nec ideo tamen vult alias, quas hoc Decretum non continet pro veris, & legitimis, taciteque probatis haberi.

Ac demum, omnes indulgentias concessas ante Decretum Clementis VIII. latum die 9. Jan. 1597. Coronis, Rosariis, Granis, seu Calculis, Crucibus, & Imaginibus Sacris: vel ante Breve Pauli V. quod incipit: *Romanus Pontifex*, &c. Editum 23. Maii 1606. personis Regularibus quarumcumque Religionem, & Ordinum etiam Mendicantium, vel ante Constitutionem 115. Clementis VIII. cujus initium. *Quæcumque*, &c. & 68. Pauli V. incipientem: *Quæ salubriter* &c. habitas per aggregationem, vel aliam communicationem ab Archiconfraternitate ulla, Ordine, Congregatione, Societate, etiam Jesu, Capitulo: vel cetero quocumque, vel ab eorum Officialibus, Superioribus, alisque personis, vel persona, etiam earum, vel ejus mentio specialis, & individua faciendi esset, nisi fuerint deinde Romani Pontificis autoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius roboris esse, & momenti pariter declarat.

Porro summaria indulgentiarum pro Congregationibus Doctrinæ Christianæ, Confraternitatibus SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum, B. Mariæ de Monte Carmelo, cincturæ S. Agustini, & S. Monicæ, nisi ab eadem Congregatione recognita, non permittuntur.

Indulgentias verò stationem Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum, aliis locis, ordinibus, aut personis, diebus, tantum stationem in Missali Ro-

mano descriptis suffragari posse declarat semel autem dumtaxat in die plenarium indulgentiam in certos dies Ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus, lucriferi.

De quibus relatione facta per Secretarium ad Sanctissimum, cuncta Sanctitas sua probavit, & inviolatè servari jussit. Datum Romæ die 7 Martii 1678. Die 12. Martii affixum, & publicatum, &c.

385 Præterea: R. Pontifex, & quidem solus potest Jubilæum concedere, vel in Anno Sancto, ut ordinariè fit, vel pro alia urgente necessitate: v. g. quando in Pontificem eligitur, vel quando Ecclesia ab infidelibus invaditur. Jubilæum ergo, præter indulgentiam plenariam, comprehendit alias speciales gratias, & facultates: nam potest penitens confessarium eligere dum tamen ab Episcopo sit approbatus. Et Confessarius potest absolvere ad ipsum accedentes ab omnibus peccatis, & censuris etiam Ordinario, quin & Papæ reservatis, & probabilitèr, etiam à casibus Bullæ Cœnæ. Potest item commutare vota, etiam jurata. Deinde potest opera in Jubilæo præscripta in alia pia opera commutare: sed tantum hanc facultatem habet respectu illorum, qui aliquo impedimento irretiti nequeunt mortalitèr peragere opera in Jubilæo præscripta: v. g. qui Claustro, perpetuo Carcere, infirmate, vel captivitate sunt detenti. Non tamen potest absolvere excommunicatum à Judice, vel publicè, & nominatim denuntiatum ob excommunicationem, suspensionem vel interdictum. Nec potest commutare quinque vota reservata, scilicet, *Religionis, perpetua castitatis, & trium peregrinationum*, scilicet, *in Romam ad limina Apostolorum Petri, & Pauli visitanda, in Compostelam, & Terram Sanctam*. Imò nec votum in favorem tertii emissum, & ab eo acceptatum. *Suar. de Vot. cap. 25. Gobat. de Jubil. n. 290.* In Lege quidem veteri annus Jubilæus erat annus remissionis, qui tenebatur septem hebdomadis annorum, ac proinde constabat 49. annis. Et dicebatur: *Jubilæus*, à verbo Hebræo *Jobel*, quod justa aliquos 50. significat: juxta alios significat arietem, cujus cornu, tamquam buccina annus remissionis annunciabatur. Vel sic forte dicitur à *Jubal*, qui fuit inventor instrumentorum musicorum, quibus annunciabatur annus Jubilæi. *Dis. Trevoux. V. Jubilè*: nam in signum lætitiæ tubis buccinabant. *Josue 6. v. 13.* Et merito quidem,

dem, nam tunc servi acquirebant libertatem, exules in patriam restituebantur, & debitorum non poterant cogi absolvendum: sed debita, & delicta remittebantur, prædia, possessiones, vineæ, agri venditi, vel oppignorati ad pristinos dominos sine pretio revertentur. Populus ab agricultura vacabat. *Nam. c. fin. v. 4.* Hinc *Bonifacius VIII.* exemplo veteris Legis Jubilæum indixit ann. 1300. visitantibus limina Apostolorum, & concedebatur centesimo quoque anno *Extr. 2. b. t. inter com. Paul. II. & Sixtus IV. ad 25.* ut hodie servatur, reduxit *Extr. 4. h. t. inter com.* Annus igitur Jubilæi, qui *Sanctus* dicitur Romæ promulgatur die Ascensionis Domini, & incipit à primis vespers Nativitatis Christi Domini, à quarum initio Porta Sancta aperitur, & durat usque ad primas Vesperas ejusdem Nativitatis anni sequentis, sub quarum finem Porta Sancta recluditur. *Navar. de Indulg. Notab 24. Filius. tr. 8. num. 250.* Extra Urbem etiam post lapsum anni Jubilæi ex concessione Pontificis tempus pro indulgentiis lucrandis determinatur ab Ordinario, & solent 15. dies, duo, vel tres menses assignari. Et licet semel tantum possint obtineri indulgentiæ, etiam si sæpius opera præscripta repetantur, ad majorem securitatem laudabiliter repetuntur: nam gratia Jubilæo non conceditur copulativè, ut in una, & altera hebdomada obtineri possit: nec indefinite, ut pro aliis duabus hebdomadibus comparatur; sed expresse sub forma disjunctiva; v. g. *Qui prima hebdomada post publicationem, vel in sequenti post illam*: ac proinde semel potest indulgentia obtineri, ut clare ex mente Pontificis deducitur, & esse ferè certum asserunt. *Suar. de Voto, lib. 6. cap. 16. n. fin. Sanch. in Decal. lib. 4. cap. 54. n. 30. & alii contra Henr. lib. 7. de Indulg. cap. 11. n. 1. Navar. & alios.* Etsi securius sit omnia opera præscripta una hebdomada, & in uno loco complere: tamen probabile est, posse in duabus hebdomadis, & locis impleri. *Laym. Bonac. Castrop. Lacr. lib. 6. p. 2. n. 1409.*

386 In Jubilæis solent præscribi hæc opera, 1. Sacra communio, quæ licet dignitate sit prior, expedit quod post cætera opera adhibeatur, vel etiam repetatur. 2. Confessio: quæ quidem in re debet præcedere communionem, saltem, si detur notitia peccati mortalis; si nullum peccatum mortale gravet conscientiam volentis lucrari Jubilæum potest

probabiliter omitti confessio, sed tutius, & securius est ad lucrandas indulgentias confiteri. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 1414. Soto, Sanch. Bonac. & alii.* Indi possunt lucrari Jubilæum sola confessione adhibita. *L. 23. tit. 1. lib. 1. R. Ind. libi: Nostro muy Santo Padre Paulo V. fue servido de expedir à nuestra instantia un Breve, dado en Roma à 28. de Abril del año de 1609. para que los Indios puedan ganar los Jubileos, è Indulgencias con solo el Santo Sacramento de la Confession.* Imò ex concessione Pii IV. possunt lucrari Indulgentias, & Jubilæa, quæ confessionem, communionem, & jejuniū requirunt, si contriti jejunent, quando non adest confessarius: dum habeant intentionem opportuno tempore, vel saltem intra mensem confitendi. *Alloza, V. Indi, sect. 2. n. 9. 3.* Ecclesias præscriptas, & tempore assignato visitare: & quidem respectu Romæ incolarum 30. dies continui, vel interpolati: pro forensibus, & peregrinis. 15. assignantur à Bonific. VIII. in *Extr. 1. h. t. inter com. 4.* Oratio: quæ regularitèr debet esse vocalis, licet ali mentalè sufficere dicant. Debetque esse devota, sine distractione voluntaria, & fiet ad intentionem Papæ, scilicet pro extirpatione hæresum, pro fidei exaltatione, pro concordia inter Principes Christianos: si indeterminate exigitur oratio, sufficit unum *Pater noster*, & *Ave Maria* recitare: si dicatur, quod debent orare per aliquod temporis spatium, sufficit fieri per medium quadrantem. Et ad ordinarias indulgentias sufficit orare septies *Pater noster*, & *Ave Maria*, debetque oratio fieri tempore, & loco in Bulla designatis. Locus ordinariè est ubi est indulgentia, tempus est inter utrasque Vesperas. *Lacr. lib. 6. p. 2. ex n. 1421.* Nec interest, qua lingua quis recitet, vel an solitariè, vel alternatim cum socio, sedendo, stando, ambulando, vel flexis genibus, operato, vel discooperto capite, longè, vel breviter *Diana in Sum. V. Indulg. Requis. n. 6. 5.* Jejuniū tribus diebus, scilicet feriâ 4. 6. & Sabbato: Et hoc observare tenentur, si indulgentias velint lucrari, etiam pueri, infirmi, senes, & alii, qui excusantur à jejuniio Quadragesimali: potest tamen hoc in aliud opus compensari. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 1424. 6.* Eleemosynæ largitio, & quidem sufficit, si fiat in minima quantitate, quando simpliciter, vel pro arbitrio præscribitur eleemosyna; *arg. c. 18. de Censib. c. 30. de Regul. jur. in 6.* Et sat est, quod fiat, vel per

se, vel per alium, dummodo verè, & in effectu pauperi tradatur: si tamen pro-
fusque facultate largienda dicatur, de-
bet major à divitibus, & Magistratibus,
quàm à pauperibus, & opificibus largiri
sufficite, si semel elemosyna detur,
licet in Bulla dicatur *elemosynis*. Nec
interest, an ante, an post communionem
detur, nec obstat esse debitam ex voto,
vel pœnitentia, dum ex justitia non de-
beat: nam tunc non erit elemosyna, sed
solutio debiti. Omnes, qui possunt, debent
elemosynam dare; si quis non possit,
sufficit, si fructus panis, vel quid simi-
le det: quin commutatio, juxta *Novar.*
& alios, requiritur: consultius tamen est
commutari. Religiosus cum licentia Su-
perioris potest per amicum secularem
dare elemosynam. Pauperes censentur
Monasteria Religiosorum, Ecclesiæ, &
alia pia loca indigentia luminaribus, or-
namentis, vel ædificiis, & quicumque alii
non habentes necessaria ad statum jux-
ta suam qualitatem, & conditionem, sed
etiam si qui accepit non sit verè pauper,
lucrat indulgentias si censetur pau-
per. *Laer. l. 6. p. 2. ex n. 1424.*

387 Qui fuit absolutus à peccatis reser-
vatis, vel à censuris, vel cujus votum
fuit commutatum tempore Jubilæi: quia
tunc Jubilæum lucrari volebat, si post-
eà mutata intentione lucrari negligat,
non reincident in reservationem, vel cen-
suram, vel obligationem voti. *Sanch. in
Decal. lib. 4. cap. 4. ex n. 42. Suarez, &
alii contra aliquos.* Quia jam omnia ope-
ra finierat in 1. hebdomada potest in se-
cunda absolvi à reservato, si quod de
novo commisit; & votum ejus, si quod
edidit commutari valet, ut contra ali-
quos probabiliter tenet. *Lacroix, lib. 6.
p. 2. n. 1450. & alii.* Imò si cum tempore
Jubilæi fuisset confessus, est obitus pecca-
ti reservati, etiam elapso Jubilæi tempore
potest absolvi à quocumque ordinario
Confessario: nam reservatio ablata cen-
setur per confessionem tempore Jubilæi
factam; & ejus vota possunt commutari:
non tamen potest absolvi, nec ejus vota
commutari, si tempore Jubilæi noluit
Jubilæum lucrari. *Sanch. in Decal. lib. 4.
cap. 54. ex n. 42. Lacroix, lib. 6. p. 2. ex
n. 1447.* Si quis ultimo die veniat ad lo-
cum Jubilæi potest petere, quod sibi
commutentur opera, quæ facere nequit,
cum jus adquisierit veniendo, idem tenet
Lugo, Viva, & alii de eo, qui spon-
te opera præscripta neglexisset, si ulti-
mo die dolens velit lucrari Jubilæum: &

posse opera commutari, quod plures
negant. *Lacroix, lib. 6. p. 2. n. 1440.* Ut
ergo major concursus populi Christiani
Romæ inveniatur, in Beatissimi Apostoli
Petrus, & Paulus amplius honorificentur,
toto anno, quo durat Jubilæum, sus-
penduntur à R. Pontifice omnes indul-
gentiæ plenariæ. *Extr. 4. h. t. inter com.
(secus partiales)* per totum Orbem; &
anno transacto, iterum reviviscunt; quin
innovatio aliqua requiritur. *Laer. lib. 6.
p. 2. num. 1404. contra alios.* Non tam-
en suspenduntur indulgentiæ, etiam
plenariæ, concessæ Ecclesiis Romæ, nec
Sanctæ Domui Lauretanae, nec Compos-
tellæ, nec Portiunculæ Asisii: suspen-
duntur tamen Indulgentiæ Portiunculæ
extra Asisium, nec suspenduntur Indul-
gentiæ Bullæ Cruciatæ, nec concessæ im-
mediatè pro defunctis, nec concessæ pro
articulo mortis, etiam si mors non se-
quatur, nec concessæ ab Episcopis. Sus-
penduntur verò illæ indulgentiæ plena-
riæ, quæ pro vivis concessæ sunt, licet
sint applicabiles defunctis, quales sunt
Agoniæ, Animarum, seu Communionis
generalis revocantur. *Lacroix, lib. 6. p. 2.
n. 1401. Sanch. Mendo, Viva, Castrop.
& alii.* Etiam suspenduntur facultates
concessæ à Pontifice gratia indulgentiæ
lucranda, ut facultas eligendi Confessa-
rium, ut à reservatis, censuris, & aliis
pœnis absolvat, vota que commutet, vel
dispenset. *Extr. 4. h. t. inter com.* Si tales
facultates non concedantur intuitu
Jubilæi non suspenduntur, sic Regulares
his facultatibus, etiam durante anno Ju-
bilæi, rectè utuntur. Si tales facultates
proveniant ab Episcopo, non suspendun-
tur. *Lugo, Castropal. Laer. lib. 6. p. 2.
n. 1403.* Demum, & per *Sacramentalia*
remituntur peccata venialia, ut tenet
antiqua traditio; sed hoc non habent ex
se, & ex opere operato, in quo aliqui
dissentunt, quia non sunt instituta à Deo,
vel Christo, sed hoc habent, quatenus
in nobis pios motus excitant, quod qui-
dem conforme est institutioni *Sacramen-
tali*: quæ fit per preces Ecclesiæ, quibus
ipsa nobis precatur tales motus. Hæc
Sacramentalia nihil aliud sunt, quam qui-
dam actus externi Religionis accomodati
ad colendum Deum: ut sunt oratio Do-
minica, aqua benedicta, estus egiarum,
confessio generalis, elemosyna, & be-
nedictio data ab Episcopo, vel Abbate
consecrato. Et hoc versu comprehendun-
tur; *Orans, tinctus, edens, confensus,
dans, benedicens.* Ad quæ reducuntur

consecrationes, & benedictiones varia-
rum rerum, & personarum, tuncio pec-
toris, unctio Regum, cerei agni, signum
Sanctæ Crucis, & alia hujusmodi, de
quibus agunt. *Suar. Lug. Bellarm. Ma-
chad. Laer. lib. 6. p. 1. ex n. 218.* Dicun-
tur *Sacramentalia*, quia sunt velut um-
bræ, & imagines Sacramentorum, non
inanes, & vacuæ, sed gratiæ supernatu-
ralis collatiæ.

388 In nostra Hispania maximo gau-
demus privilegio pro indulgentiis lu-
crandis ex Bulla *Cruciatæ*, quæ sic dicitur
à rubea Cruce, quæ insigniebantur
illi, qui ad Terræ Sanctæ Infideles expug-
nandos militiæ nomen dabant, in
quorum favorem primo concessa fuit.
Cujus concessio durat per unum annum
in Hispania, qui ab una promulgatione
ad aliam computandus est; in Indiis ve-
ro per biennium, ad eò, ut nec morte
Pontificis cesset, quia gratia est, *cap. 9.
de Offic. Judic. Delegat. in 6.* Nec revoca-
tur per Bullam Cœnæ, nec per publica-
tionem Jubilæi, ut declarant *Greg. XIII.
& Clem. VIII.* quia Bulla conceditur per
modum contractus onerosi. *Medin. de
Bull. D. 1. num. 48.* Et ut solemnius pro-
mulgetur Bulla, suspenditur interdium
per octo dies ante, & post Bullæ
promulgationem. Ut quis ergo gaudeat
privilegiis Bullæ debet militare, vel aliter
servire per unum annum in Exercitu
nostri Regis contra Turcas, Mauros,
vel alios Infideles. Qui non adfuerit
personaliter exercitui satisfaciit alium
pro se mittens; vel largiendo elemo-
synam pro Bulla taxatam, expendendam
ad infidelium expugnationem. Hæc
elemosyna, quæ communiter est in
Hispania duorum regalium. *Vulgo dos reales
de vellon:* in Indiis tamen sunt duo ar-
genti: *Vulgo dos reales de plata.* At verò
pro personis in Dignitate constitutis va-
riæ summæ juxta cujusque gradum assignatæ
sunt. Et licet sit necessarium Bullam
impressam sumere: non tamen est
necessarium, eam corporaliter retinere,
nec nomen in ipsa inscribere. Euntibus
ergo ad bellum, vel accipientibus Bullam,
& elemosynam assignatam danti-
bus conceditur semel in vita, & iterum
in articulo mortis, ut possit illis plena-
ria indulgentia applicari. Deinde: si præ-
dicti diebus Quadragesimæ, quibus Romæ
assignata est statio, visitaverint quin-
que Ecclesiæ, sive Hospitalia, Templâ
Regularium, Sacella, vel Oratoria pri-
vata, etiamsi sint in campo, fundis hor-

tis, seu carceribus, vel si visitent quin-
que Altaria, vel ubi non sint quinque
Ecclesiæ, aut Altaria, Ecclesiam unam,
aut Altaria quinque visitaverint, &
ibi devotè oraverint pro victoria contra
Infideles obtinenda, & pro unione inter
Principes Christianos, ipsis conceduntur
omnes indulgentiæ, & remissiones,
quæ conceduntur visitantibus Ecclesiis
Romæ, intra, & extra Urbem.
Et possunt applicari per modum suffragii
tales indulgentiæ animabus Purgatorii.
Etiam aliæ indulgentiæ partiales conceduntur,
ut ex ipsa Bulla constat. Deinde potest
quis accipiendo Bullam, quam dicunt
defunctorum, applicare indulgentiam
plenariam per modum suffragii pro
aliqua anima Purgatorii. Et quidem potest
pro eadem anima duas Bullas sumere,
& securius erit, si in gratiæ statu sit,
quando applicat indulgentiam. Potest
applicari indulgentia à Sacerdote, etiam
extra confessionem, & quibuscumque
verbis applicationem significandis: imò,
& mentaliter potest applicari, & etiam
absenti, & alienato à mentis judicio in
casu mortis repentina: imò potest quis
lucrari indulgentias, etiam sine applica-
tione confessarii: sufficit enim, quod
moriens sit in statu gratiæ, vel quod
contritionem eliciat, & fretus hoc privilegio
non fuisset negligens in confitendo
tempore statuto ab Ecclesia. Et potest
simul cum illa indulgentia alia plenaria
applicari. Indi etiam indigent Bulla.
Quando publicatur Bulla, suspenduntur
omnes aliæ indulgentiæ præter concessas
Regularibus. Non tamen suspenduntur
concessæ ab Episcopis. Nec concessæ à
Pontifice in Jubilæo per 15. dies concedi
solitos. At verò, ut quis alias indulgentias
possit lucrari, indiget Bulla, & sic
communiter notatur, nec aliæ indulgentiæ
possunt publicari, nisi sciente, & consentiente
Commissario, ut supra diximus.

389 Difficultatem sanè, & arduitatem,
quam ex se habet Sacramentum pœnitentiæ
magna ex parte mitigat gravissima
tacendi obligatio, qua tenentur
Confessarii, & alii, qui quomodocumque
justè, vel injustè notitiam, mediatè,
vel immediatè habuerunt peccatorum,
quæ pœnitens est sacr. mentaliter
confessus, si animo se accusandi, & sub-
jiciendi peccata clavibus Ecclesiæ, acce-
dat; etsi per accidens ex aliquo defectu,
vel Confessarii, vel pœnitentis non sequatur
absolutio. Hæc obligatio dicitur

sigillum, quæ non solum à jure Ecclesiastico provenit, cap. 2. de *Pœnitent. D. 9. cap. 13. de Exco. Prælat. cap. 12. b. t.* Sed etiam à Jure Naturali: tum ob tacitam promissionem tacendi ibidem audita: tum quia natura docente, nemo debet alteri faceri, quod sibi nolle fieri. Etiam oritur à Jure Divino, siquidem ex perpetua praxi, & Ecclesiæ traditione præsumitur cum hac obligatione sigilli fuisse institutum à Christo Domino, hoc Sacramentum. *Innoc. & Abb. in cap. 12. b. t. Suar. de Pœnit. D. 33. sect. 2. Lacroix, lib. 6. p. 2. n. 1934.* Hac obligatione tenetur non solus Confessarius, qui verè talis erat, sed qui cum non esset, à pœnitente talis bona fide fuit existimatus. Item superior, à quo Confessarius petit facultatem absolviendi à reservato: Interpres confessionis, vel qui eam scripsit, vel scriptam invenit: vel audivit bona, vel mala fide à confitente, vel à Confessario de licentia pœnitentis, vel sine ea. Imò, & omnes, qui publicè confitentem audierunt in naufragio, vel prælio. *D. Thom. in 4. D. 21. q. 3. art. 1. q. 8. Scot. ibid. q. 2. Suar. de Pœnitent. D. 33. sect. 4. Lug. de Pœnitent. D. 23. Diana in Sum. V. Sigillum, ex n. 1. Laer. lib. 6. p. 2. ex n. 1951.* Sub tali sigillo continentur omnia peccata mortalia, & venialia pœnitentis declarata in confessione, etiamsi publica sint, & notoria: item ea, à quibus non fuit pœnitens absolutus: imò, & defectus occasione confessionis cogniti; v. g. pœnitentis ignobilitas, illegitimitas, ægritudo, scrupulosa conscientia, sed hoc ab aliis negatur. Etiam comprehenduntur peccata complicitis justè, vel injustè, à pœnitenti detecti. Et etiam pœnitentia imposita. *Dian. in Sum. V. Sigillum, ex n. 15.* Dona, & virtutes pœnitentis non continentur sub sigillo, quia ex earum manifestatione non redditur odiosa confessio. Potest tamen pœnitens obligare Confessarium ad tacendum sub naturali sigillo. *Diana in Sum. V. Sigillum, num. 19.* Adèd stricta est sigilli obligatio, ut nulla causa temporalis, vel spiritualis, quantumvis publica, & gravissima, vel utilitatis acquirendæ, vel incommodi vitandi excuset à tali obligatione, nec possit sigillum violari, etiam ad tuendam vitam propriam, nec ob bonum, sive temporale; sive spirituale totius mundi: potiusque debet Confessarius mortem pati, quam revelare audita in confessione, ut varios casus decidens assert *Dian. in Sum.*

V. Sigillum, num. 28. & seq. Nec in hac obligatione valet ipse Summus Pontifex dispensare, ut tenent omnes *DD. Cartholici in cap. 12. b. t.* & communis usus, & traditio Ecclesiæ; imò nec cum ipso pœnitente extra confessionem de eis valet loqui Confessarius sine ejus licentia. In ipso actu confessionis, etiam post absolutionem, dum adhuc Confessarius in confessionali sedet, & pœnitens genibus flexis existit, potest Confessarius errorem, si quem notavit, corrigere, modum restitutionis faciendæ præscribere ipsi pœnitenti: quin & in alia confessione potest pœnitentem admonere de aliquo defectu, in præcedentibus confessionibus commisso. *Laer. lib. 6. p. 2. n. 1776. & seq. & 1980. & seq. Imò Nung. Suar. Filic. Merat. Laym. lib. 5. tit. 5. cap. 14. n. 15. & alii*, dicunt, quod etiam extra confessionem, non petita licentia, quin etiam renuente pœnitente, posse Confessarium cum eo loqui, & monere de defectu: sed hoc periculosum est. Si Confessarius in testem alicujus delicti, quod præcisè per confessionem novit, adductus rogetur sub juramento, an tale sciat, vel audiverit in confessione, potest, & debet respondere, se tale delictum nescire: Nam intelligitur, quod nescit ad revelandum; quinimò, etiamsi illud in judicio revellet, non potest Judex reum ad torturam condemnare ex tali notitia. *Barb. in cap. 12. b. t. num. 18. alios citans.* Si verò melius famæ pœnitentis consulatur non negando, quam negando, potest dicere: & ipse confessus est, & ego meo officio functus sum. Quando pœnitentes debent ferre schedulam confessionis, si non timeat revelari confessionem neget illam indisposito: si timeat revelari, & non absoluto potest eam dare. *Dian. in Sum. V. Sigillum, ex num. 32. Laer. lib. 6. p. 2. ex num. 1982.*

390 Si pœnitens, in cujus favorem principalitè hæc adèd stricta obligatio est introducta, concedat Confessario licentiam, ut notitia habita ex confessione utatur: cum possit pœnitens suo juri renuntiare. *L. 29. C. de Pact. poterit utique Confessarius de tali peccato, vel cum ipso pœnitente extra confessionem, vel etiam cum aliis tractare, observando strictè tenorem licentiæ, & non ea abutendo; arg. L. 5. ff. Mandat. Et sanè debet talis licentia esse expressa, & formalis, voluntaria, & libera, non quidem extorta metu, dolo, vel vi, & non revocata; siquidem potest pœnitens licentiam, etiam*

etiam concessam, revocare. *D. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. art. 2. Navar. Man. Suar. de Pœnit. D. 33. sect. 5. n. 6. Laym. L. 5. tit. 6. c. 14.* Pœnitens per se non tenetur sigillo Sacramenti in non manifestanda pœnitentia, cum in sui favorem sit inductum: poterit tamen aliquando obligari sigillo naturali non tamen Sacramentali, ad occultanda facta, vel dicta in confessione. *Dian. in Sum. V. Sigillum, n. 13. & alii comm.*

391 Non violat sigillum Sacerdos, qui utitur notitia peccati sibi confessi: si aliunde illud sciat extra confessionem, vel ante, vel post eam: dummodò solum tali notitia utatur, quatenus eam extra confessionem habet, vel si tantum in genere dicat, se tale peccatum audisse, si nescit verbo, signo, facto, vel aliis circumstantiis possit cognosci pœnitens. *D. Thom. in 4. Sent. D. 21. q. 3. art. 1. q. 1. Sylvest. Navar. & com. DD.* Si pœnitens accedat ad Confessionarium animo simulandi confessionem, de nullo tamen peccato se accusat, sed tantum petit schedulam, vel etiamsi peccata sua confiteatur, si hoc faciat animo Confessionarium trahendi ad suum delictum, vel ipsum decipiendi, non tenetur Confessarius sigillo, si de hoc animo constet, quia non intendit pœnitens confessionem Sacramentalem facere: quando verò dubitatur de animo, præsumitur pro confessione Sacramentali, & ligat sigillum. Et quidem olim fuit quidam Cardinalis mulctatus à S. Pontifice, eo quod non manifestaverit conspirationem in Papam, quam alter in confessione ipsi aperuerat, non intentione se accusandi, sed animo illum ad conspirationem trahendi. Ex *Sozo* refert. *Barbos. in c. 12. b. t. n. 16.* Nec sub sigillum cadunt, quæ pœnitens dicit Confessori sine animo confitendi, & absolutionem obtinendi, etiamsi flexis genibus, & fronte crucis signo signata dicat, hoc tibi aperio in confessione: sed solum tunc Confessarius tenetur ea tacere, sicut alia sub secreto commissa. *Barbos. in c. 12. b. t. n. 25. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 13. n. 6.* Potest verò Confessarius notitia peccatorum uti, si ex tali usu pœnitentes non absterreantur, sic potest moveri ad orandum pro pœnitente, vel ad inquirendum modum, illum ad salutem suæ animæ promovendi. Vel si sciat, sibi alicubi parari insidias, vel sibi in aliquo poculo parati venenum, potest illas occasiones declinare; vel etiam ad examinandum complicem diligentius moveri potest ob notitiam ab alio complice in confessione habitam,

Tom. II.

caute tamen, ne cognoscat pœnitens talem usum. Quando pœnitens confititur deliberationem hæresim disseminandi, vel alterius gravis criminis perpetrandi, à quo nolit desistere, potest Confessor in generali insinuare Episcopo, vel Magistratui, ut invigilet super gregem suum, quia lupus rapax tentat illum invadere, ita ut delicto, & periculo obvictur, sine aliqua tamen pœnitentis manifestatione, nec offensione illius, nec aliorum scandalo. Sic alios citans *Barbos. in c. 12. b. t. n. 17.* Alièr non potest aliquid loqui. *Dian. in Sum. V. Sigillum, n. 49.* Quando tamen ex tali usu aliquid incommodum, pudor, vel molestia potest pœnitenti inferri, ita ut Sacramentum fiat onerosum, & molestum, non potest Confessarius tali uti notitia. Sic Superior non potest diligentius vigilare super eum, quem ex confessione alicui peccato assuetum cognovit. Nec Collator, Patronus, vel Elector possunt negare collationem, præsentationem, vel suffragium illi, quem ex confessione indignum agnovissent. Nec Parochus potest negare Eucharistiam, vel benedictionem nuptialem ob notitiam indignitatis ex confessione hausta: imò nec ferventius & extraordinariè exhortari ad virtutem, vel pœnitentiam eum, quem ex confessione obstinatum, vel deditum vitii esse cognovit. Deniquè nullo modo Superiores, vel Confessarii possunt uti notitia Sacramentali ad gubernationem externam, ex Decreto *Clement. VIII. 26. Maii, Ann. 1594. Dian. in Sum. V. Sigillum, ex n. 46. Sanch. de Matr. lib. 3. D. 16. n. 4. Laer. L. 6. p. 2. ex n. 1975. contra D. Anton. D. Bonav. Scot. Durand. Suar. & plures ex antiquis, quos citat. Sanch. n. 2.*

392 Violatio sigilli est peccatum ex suo genere grave, non solum quando materia revelata est gravis, quia peccatum grave detegitur; sed etiam si peccatum levissimum reveletur; nam etiam tunc illud revelans irrogat Sacramento gravissimam irreverentiam, illudque odiosum facit, & homines ab ejus usu abstrertat. Ratione tamen inadvertentiæ potest talis revelatio esse solum culpa venialis: imò & nulla. Et quatenus violatio cedit in irreverentiam Sacramenti, est peccatum contra Religionem: quatenus verò lædit pœnitentis famam, & existimationem, est contra Justitiam: ac proinde Sacerdos famam læsam tenetur reparare. *Suar. de Pœnit. D. 33. sect. 1. Judex tantum Ecclesiasticus est competens, respectu hujus criminis: siquidem causa est spiritualis, &*

Aaa

reus

reus est immunis à Judice Seculari, etsi forte aliquando Judex Secularis hoc crimen punivit, ut dicit *Aldret. l. 2. Eccles. Discip. c. 19. n. 2.* de Rege Jacobo I. Aragoniæ, qui Episcopo Gerundensi fecit à tergo linguam extrahi; vel hoc fecit ex commissione Papæ speciali, post Episcopi traditionem brachio Seculari. Nec hæc causa est ab Ordinario exempta, & ad Inquisitores adjudicata, nisi aliquam hæresis suspicionem admixtam habeat. *Dian. in Sum. V. Sigillum, n. 57.* Potestque Judex procedere ad probationem sigilli violati, non solum licentia poenitentis precedente, sed etiam sine ea; *arg. c. 2. de Poenit. D. 6. c. 12. b. t.* Nam per talem punitionem, & per Inquisitionem, & probationem necessariam promovetur reverentia Sacramenti; ac proinde licite examinantur testes, & ipsi tenentur respondere, secundum quod in resciunt. Hoc igitur delictum probatum censetur, si ipse Sacerdos illud fateatur. Si verò neget, probatio denuntiant, vel accusanti incumbit. Et hæc per testes singulares fieri potest, propter delicti enormitatem. Si verò Sacerdos dicat, peccatum sibi ianotuisse extra confessionem, hoc debet ipse probare. Si afferat, habuisse licentiam, à poenitente, hoc etiam probare tenetur, quando ab ipso poenitente accusatur: & quidem potest hæc licentia probari, etiam per simplicem assertionem Confessarii, quando ipse est vitæ integræ, & res est parvi præjudicii. Quod si res est magni momenti, & poenitens est vitæ integræ debet deferri Confessario juramentum purgationis, eique statui. Si verò ab alio tertio accusetur, ipse accusans probare debet, non esse datam licentiam à poenitente. Semper tamen, ac datur dubium, præsumptio stat pro Confessario, cum quilibet bonus præsumatur. *c. fin. de Præsump. & delicta non præsumantur, nisi probentur. l. 15. ff. Pro Sotio,* adeo ut dicto Sacerdotis fide digni asserentis, mortuum, seu morientem dedisse sibi licentiam ad revelandam confessionem credatur. Sine tali tamen licentia, nec post mortem sunt revelanda peccata. *Barbos. in c. 12. hoc tit. plures citans.*

393 Sacerdos violans sigillum deponitur ab omni Officio Sacerdotali. *c. 12. b. t.* sed non cogitur nunc, ut olim perpetuò peregrinari. *c. 2. de Poenit. D. 6.* ne detur vagandi necessitas in opprobrium status Clericalis. Nec detruditur in Monasterium ad perpetuam poenitentiam agendam, ut jubetur in *c. 12. b. t.* nam

hæc poena ferè in desuetudinem abiit, in cujus locum hodiè in perpetuum Carcerem, vel ad trirèmes condemnatur. Nec irregularitas, nec alia poenæ ipso jure incurruntur. *Lacr. lib. 6. p. 2. n. 1999.* Tamen non ordinaria, sed extraordinaria poena imponitur. 1. Quando Sacerdos non alteri, sed ipsi poenitenti obicit suum peccatum: nam tunc non revelat. 2. Quando licet alteri revelet, hoc non præsumptuosè, sed ex ignorantia, vel inadvertentia facit; imò & nullæ poenæ subjicietur, si non humano modo revelet: v. g. in delirio. 3. Quando Sacerdos non revelat peccatum, sed aliquem defectum poenitentis ex confessione cognitum. 4. Quando qui confessionem excepit, non erat Sacerdos, sed alius Clericus, vel etiam Laicus, si hic revelet, etiam poenæ extraordinariæ est subjectus. *Suar. de Poenit. D. 33. sect. 8. Lago de Poenit. D. 23. n. 147. Vallens hic, §. 13. n. fin.*

394 Denique pro pleniori materiæ comprehensione libuit hic adjungere propositiones in hac materia damnatas. Et quidem *Joannes XXII. in Extr. 2. de Heretic. inter comm.* damnavit errores Joannis de Polliaco, qui assererat. 1. *Quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones tenentur eadem peccata, qua confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti.* 2. *Quod stante: omnis utriusque sexus edicto in Concilio Generali R. Pontifex non potest facere, quod Paraciani non teneantur omnia peccata sua, semel in anno proprio Sacerdoti confiteri, qua dicit esse paraciale curatum imò nec Deus posset hoc facere, quia (ut dicebat) implicat contradictionem.* 3. *Quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessiones: imò nec Deus quin confessus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti.* *Clemens VIII. per Constitutionem 87.* damnat hanc propositionem ad minus, ut falsam, temerariam, & scandalosam, mirum, licere per litteras, seu interveniunt Confessario absente peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere. *Alex. VII.* damnavit has propositiones. 11. *Peccata in confessione omissa, seu obliata ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenentur in sequenti confessione exprimere.* 12. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* 13. *Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo presentato, sed ab eo injustè reprobat.* 14. *Qui*

Qui facit confessionem voluntariè nullam satisfacit præcepto Ecclesie. 15. *Poenitens propria autoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius poenitentiam adimpleat.* 16. *Qui beneficiam Curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* 37. *Indulgentia concessa Regularibus, & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidata.* 41. *Non est obligandus concubinarium ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad delectamentum concubinarium, vulgò regalo, dum deficiente illa nimis egrè agere vitam, & aliæ epulæ ratio magno concubinarium afficerent, & alia favula nimis difficile inveniretur.* *Innocentius XI.* sequentes damnavit. 56. *Frequens confessio, & communitio in his, qui generaliter vivunt, est nota predestinationis.* 57. *Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.* 58. *Non tenetur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* 59. *Licet sacramentaliter absolvere auidiatè tantum confessor, ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magna alicujus festivitatis, aut indulgentiæ.* 60. *Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei Naturæ, aut Ecclesie: etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.* 61. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quinimò directè, & ex proposito querit, aut ei se ingerit.* 62. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua, utilis, aut honesta non fugienda occurrit.* 63. *Licetum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.* 64. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam, etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissime Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu-Christi.* *Alex. VIII.* damnavit sequentes: 20. *Confessiones apud Religiosos facta pleræque, vel sacrilege sunt, vel invalidæ.* 21. *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui elemosinis communiibus vivunt de imponenda nimis levi, & incongrua poenitentia, seu satisfactione ob quantum, seu lucrum subsidii temporalis.* Benedict. XIV. damnat, & reprobat praxim Confessariorum, qui à suis poenitentibus nomen complicitis exquirunt, atque ad illud sibi revelandum, non

solum suadent, sed negatione absolutionis compellunt. Sic in *Constit. Suprema 7.* Jul. ann. 1745. Confirmata ann. 1746. Præterea ipse R. Pontifex absolute tollit jurisdictionem Confessariis, ne possint audire Confessiones, nec absolvere suos complices in peccato contra 6. Decalogi præceptum extra articulum mortis, quando non datur alius Sacerdos, etiam simplex, & non approbatus pro Confessionibus, nisi forte scandalum resultaret, vel infamia confessario proprio sequeretur: nam tunc posset proprius confessarius complices audire confessionem. Tenetur tamen ita res disponere, ut quantum possibile sit hanc auditionem refugiat. Nec virtute Bullæ Cruciatæ, nec Jubilæi, nec alterius privilegii potest confessarius complices absolvere. Si secus facere audeat incurrit excommunicationem Pontifici reservatam. Sic habetur in *Constit. Sacramentum.* 1. Jun. an. 1741. & *Apostolici* 8. Februar. an. 1745. *

395 Præterea: in Edicto Generali Inquisitionis reservatur puniendum ab Inquisitoribus crimen gravissimum, quod committit ille, qui cum non sit Sacerdos audit alicujus confessionem. *ibid. N. 8.* dicitur: *O que no siendo Sacerdote haya dicho Missa, & confesado à alguna persona.* Et quidem ex *Const. Paul. IV. Greg. XIII. Sixti V. & Clem. VIII.* Laici, & Ecclesiastici non Sacerdotes, etiam si sint verè poenitentes tradendi sunt curiæ Seculari, sed hoc non est in usu inquisitione Hispanica, sed Laicus, si est persona vilis sibus ceditur, & ad trirèmes mittitur aliaque poenæ spirituales superadduntur. *Dian. in Sum. V. Inquisitorum jurisdictione, quoad penas, n. 164.* Etiam ab inquisitoribus puniuntur Confessores sollicitantes ad turpia in confessione. Et tales in Hispania abjurant de levi, licet in Inquisitione Romana abjurent de vehementi: & condemnantur ad trirèmes per quinquentium, vel septentium, & in perpetuum suspenduntur ab audiendis confessionibus. Et Regularibus potest imponi, quod teneant ultimum locum inter Regulares sui Monasterii. *Dian. in Sum. V. Inquisitorum jurisdictione. Casar. Carena de Offic. Inquisit. p. 2. §. 17. ex n. 89. fol. 157.* Quando hoc crimen incurrat, & detur obligatio denuntiandi constat ex *Bulla Greg. XV. Audiamus illam.*

Universi Domini gregis curam, & c. Statuimus, decernimus, & declaramus, quod omnes, & singuli Sacerdot es, tam Seculares, quam Regulares, cujuscuque Digni-

tatis, &c. qui personas, quæcumque illæ sint, ad inhonestam, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, sive post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis hujusmodi: etiam ipsa Sacramentali Confessione non secuta, sive extra occasionem confessionis, in Confessionario, aut loco quocumque, ubi confessiones Sacramentalis audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire: sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissimè, ut infra puniantur, &c. Mandantes omnibus Confessariis, ut suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denunciandi sollicitantes: seu ut profertur, tractantes, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis prædicatis. Quod si hoc officium prætermiserint, vel poenitentes docuerint, non teneri ad denunciandum confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, eisdem locorum Ordinarii, & Inquisitores illos pro modo culpæ punire non negligant, &c. Datum, &c. die 30. August. 1623. ¶ Benedict. XIV. in Constit. Sacramentum. 1. Jun. an. 1741. confirmat antecedentem Gregorii Constitutionem, & ad vertendas calumnias in hoc puncto non infrequentes addit: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis poenæ coerceretur, quæcumque persona, quæ execrabilis hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes confessarios impiè calumniando, vel scelestè procurando ut ab aliis fiat, à quocumque Sacerdote, quovis privilegio auctoritate, & dignitate munito, præterquam à nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quàm nobis, & successoribus prædictis reservamus, perpetuò careat. Præterea de S. Univ. Rom. Inquisitionis Consilio, perpetuò inhabilitat ad Missæ Sacrificium sollicitans, & ad turpia, & abutentes Sacrificio Missæ ad sortilegia, & jubet legi hoc Decretum feria 6. post Octavam Assumptionis, & in Capitulis Generalibus, & Provincialibus. Sic Decretum est 21. August. an. 1745.*

Confessarius sollicitans non tenetur se ipsum denunciare, quia nullus tenetur se ipsum prode, ut commune proclamat axioma deductum ex c. 87. de Pœnit. D. 1. & in nostro casu tenent Leand. de Pœnit. tr. 3. D. 13. q. 43. & 44. Dian. p. 1. tr. 4.

resol. 8. Potestas, tom. 2. p. 3. n. 493. Siquidem præceptum humanum, quale est denunciandi sollicitantes, non obligat cum tam gravi documento. Et hæc ratione excusantur ab eo denunciando Pater, Mater, Filius, vel Frater, nec alius, si inde timeat grave malum sibi, aut suis conjunctissimis, scilicet, Patri, Matri, marito, filiis, aut fratribus: Nec est denunciandus Confessarius, si jam est mortuus, Potestas tom. 2. p. 3. n. 595. & 597. Confessarius sollicitans potest à quolibet Confessario absolvi, quia sollicitatio nullo jure invenitur reservata. Potestas n. 601.

TIT. XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & interdicti.

396 **C**ensura Ecclesiastica sic dicitur à Censoribus Romanis, quorum officium erat censere, & castigare mores, & errores Civium. Et quia ipsi in hoc valde observantes erant, & rigidi, juxta illud: Rigidi que severos Censuris mores, etiam collega timeret, ideo censura pro correctione, & severitate sumitur, teste Nebrissensi. Prius quidem de ea agendum est, ut postea de tribus ejus speciebus, de quibus in rubrica fit mentio, suo ordine agamus: scilicet, de Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto. Censura ergo est poena spiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato, & contumaci aufertur per Ecclesiasticam potestatem usus quorundam bonorum spiritualium, ita imposita, ut per eandem ordinariè absolvi possit. Suar. de Cens. D. 1. sect. 1. n. 5. Est enim poena, qua Ecclesia utitur in foro externo per modum medicinæ ad infringendam contumaciam fidelium: ac proinde emendatione, & correctione poena, est auferenda censura. In quo distinguitur à depositione, degradatione, aliisque poenis vindictivis, quæ ob peccatum præteritum possunt infligi, c. fin. 2. q. 1. c. 2. q. 1. Est poena Ecclesiastica, qua solum Ecclesia utitur, non verò potestas Secularis, nisi ex delegatione Pontificis. c. 6. D. 96. c. 10. de Const. c. 6. Mayor. de In Ecclesia enim sicut in quavis bene ordinata Republica debet esse potestas excludendi homines noxios à suo corpore: & suspendendi à quibusdam officiis malè ea administrantes: & aliis aliquos actus interdiciendi. Et quidem hæc

po-

potestate ussi sunt D. Petrus contra Simonem Magum Act. Apost. 8. v. 21. D. Paul. 1. Cor. 5. v. 3. ibi: Jam judicavi, ut præsens, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu-Christi, congregatis vobis in meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu-Christi tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit, in die Domini nostri Jesu-Christi. Esse in Ecclesia potestatem ad instituendas, & ferendas censuras fide docemur ex predicto, aliis Sacræ Scripturæ locis, ut probat Suar. de Cens. D. 1. sect. 2. ex n. 14. Et usus censurarum suo modo fuit obumbratus apud Judæos juxta illud Joan. 9. v. 22. Jam enim conspiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam ferret. Et etiam apud Gentiles, ut ex Tito Livio, Cæsare, Plinio, & aliis colligitur, & ex illo Poætæ: Innocui veniant procul, o procul impius esto. Solum enim Ecclesia potest privare usu bonorum spiritualium: & quidem directè privat bonis illis, quæ consistunt in actionibus, & cæramoniis, quæ ex sua institutione fructum spiritualem, & interiorem, operantur, ut sunt sacramenta, sacrificia, Officia Divina, suffragia, satisfactio Christi, & Sanctorum, quæ fidelibus justis per indulgentias applicantur: indirecte etiam privat censura bonis temporalibus; v. g. communicatione politica cum fidelibus, fructibus beneficii, &c. minimè tamen potest privare bonis merè internis, qualia sunt fides, charitas, & gratia, qua fideles inter se & cum Christo mysticè sunt uniti: character Sacramentalis, vel virtutes. Quippè Ecclesia in hæc jurisdictionem non habet. Suar. de Cens. D. 1. sect. 1. n. 6.

397 Censuræ sunt tres, & non plures, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum. c. 20. de V. S. c. 1. c. 13. & 20. b. t. in 6. Nec alii speciei, præter assignatas, convenit definitio censuræ. Nav. Man. cap. 27. n. 1. Suar. de Cens. D. 1. sect. 3. n. 1. & 2. nam illa definitio Pontificis est doctrinalis, & ideo licet indefinita videatur, universali æquivaleret, ac si diceret omnem censuram comprehendi sub illis tribus membris. Censura alia est à jure, alia ab homine: à jure est, quæ infligitur à Sacris Canonibus, Constitutionibus, & Statutis Ecclesiasticis. Ab homine dicitur illa, quæ per modum mandati vel sententiæ infligitur à Superiore. Alia est lata sententiæ, alia sententiæ ferendæ: lata sententiæ est, quæ incurritur, hoc ipso, quod crimen committatur, etiam sine alia sententiâ condemnatoria. c. 53. §. Verum,

de Appellat. v. g. si dicitur: Sit ipso facto excommunicatus, vel suspensus: vel excommunicatus, vel excommunicationi subjaceat Sententiâ ferendæ est, quæ licet statuta à jure sit, non incurritur ipso facto: sed tantum post Judicis sententiâ; v. g. quando dicitur: excommunicetur, vel excommunicabitur, vel sub excommunicatione probibemur, &c. & ut talis habeatur sit lata sententiâ, aut ferendæ, quia in dubiis est benignior interpretatio faciendâ. L. 55. §. fin. ff. de Reg. jur. c. 49. eod. in 6. Suar. de Cens. D. 3. sect. 3. n. 6.

398 Possunt ferre censuras potestate ordinaria S. Pontifex respectu totius Ecclesiæ Extr. 1. de Major. inter com. Concilia Generalia, & Provincialia in sua Natione, aut Provincia. Legati à Latere in Provincia suæ Legationis. c. 7. de Offic. Legat. Cardinales in Ecclesiis sui Tituli. c. 11. de Major. Et ibid. DD. Episcopus, & Archiepiscopus in sua Diocesi, respectu suorum subditorum. c. 1. c. 16. de Offic. Ordin. c. 21. b. t. Eorumque Vicarii Generales: Capitulum sede vacante, & ejus Vicarius Generalis c. 7. b. t. in 6. Ivid. sess. 24. de Ref. cap. 16. Præpositi Ecclesiarum Collegiarum, & alii, qui in foro externo jurisdictionem obtinent. c. 20. de V. S. c. 1. b. t. in 6. Superiores Regulares, non solum Generales, & Provinciales; sed & locales ex privilegio perpetuo suo muneris annexo. c. 10. de Major. Congregationes, & Capitula quarumdam Religionum. Nav. Man. cap. 27. n. 5. Suar. de Cens. D. 2. sect. 2. Lacr. lib. 7. n. 17. Parocus, cum non gaudeat jurisdictione in foro externo, non potest ferre censuras Jure Ordinario; arg. c. 20. de V. S. c. 1. b. t. in 6. Nisi ex delegatione, vel privilegio. c. 3. de Offic. Ordin. vel consuetudine, vel præscriptione. c. 18. de Præscript. Suar. de Cens. D. 2. sect. 2. n. 8. & 10. Lacr. lib. 7. n. 21. Ex potestate delegata possunt censuras ferre illi, quibus habentes potestatem ordinariam, eam delegarint c. 7. de Offic. Ordin. in 6. dummodo delegatus sit homo viator, sit baptizatus, usum rationis, & saltem primam tonsuram habeat, & non sit conjugatus. c. un. de Cleric. conjug. in 6. Summus Pontifex de plenitudine potestatis potest hanc jurisdictionem Laico, imò, & scæminæ delegare. Nam cum non sit potestas Ordinis, sed jurisdictionis, eorum incapacitas non procedit à Jure Divino, sed tantum à Jure Ecclesiastico, in quo Pontifex potest dispensare. c. 12. de Major. non tamen de-

cet,